

V C
1645

h.



h. 15
W. XVIII, 15.

I
V c
1645

AD

ILLVSTRISSIMOS PRIN-
CIPES DVCEs SAXONIAE IOHAN-
NEM FRIDERICVM SECVNDVM, ET IOHAN-
nem Vuilelmum, & Iohannem Fridericum tertium,
fratres scripta de Illustrissimæ Principis Sibyllæ
&c. matris pia migratione ex hac
mortali uita, cons-
solatio,

AVTORE IOHANNE HOFFERO
Coburgensi,



VVITEMBERGAE

EX OFFICINA HÆRE-
DVM GEORGII
RHAVV.

M. D. LIIII.


F. 518

Ms. XVIII 12

AD

ILLVSTRISSIMOS PRIN-
 CIPES DVCESS SAXONIAE IOHANNES
 FERDINANDVS SECVNDVS ET IOHANNES
 VILHELMVS & IOHANNES FERDINANDVS
 PRINCIPES SIBYLLAE
 SAC. MAIEST. PATR. MAIEST. EX HAC
 MAIEST. MAIEST. CONS.
 SOLATIO.

AVTORE IOHANNIS HOFFER
 Copurgensi



VVITTE
 EX OFFICINA
 DAM GEORGI
 RHAVA
 M. D. LIII



AD ILLVSTRISSIMOS
PRINCIPES DVCEs SAXONIAE
IOHANNEM FRIDERICVM SECVNDVM,
& Iohannem Vuilelmum, & Iohannem Fridericum
tertium, fratres scripta de Illustrissimæ Prin-
cipis Sibyllæ &c. matris pia migratione
ex hac mortali uita, con-
solatio.

CVM Deus æternus, uerbi uirtute potentis,
Ex nihilo, mundi constituisset opus:
Ignem cœlestem sapiens homo mente fouebat
Solutus, ut archetypî dulcis imago foret.
Luce fruebatur solus rationis acutæ,
Eloquio linguæ solus & auctus erat.
Incipit extemplo tunc conditor omnia cernens,
Quæ miræ Gnati fecerat arte modo:
Ordo creaturæ mihi perplacet omnis, amoris
Mens hominis, nostri sed simulachra geret,
Et decet hanc flammam mortalia noscere corda,
Qua gnatum necit flaminis aura mihi.
Hæc ubi dicta dedit, suaues adflauit Adami
Motus in pectus uis agitata Dei.
Inde patris primî, sobolis, sociæq; pudicæ
Alterna ardebant pectora iuncta fide.
Emicat hinc nostris & adhuc ab origine prima
Cordibus accensus fomes ab igne Dei.
Suscitat ad flammam hic corda uolentia patrum,
Ut sobolem dulcem non simulanter ament.
Subiicit hic tacitos motus sobolique uicissim,
Mutuus ut penetret uiscera cordis amor.

Cedite qui rapitis φρονιὰς ἐ πectore σοφγὰς.
His Deus humanum uult sociare genus.
Purior hæcquæ micat pia flammula corde, quòd intus
Virtutis ueræ semina sancta fouet.
Ergò quòd ardenti quoque nunc genitricis amore
Lumina flebilibus uestra rigatis aquis.
Geldrensi postquam de sanguine nata Sibylla,
Ipsa suum dubio clausit in orbe diem.
O uos germani fratres, generosa propago,
Principe Saxonix de genitore sati.
Editis eximium specimen pietatis honestæ,
Quam Deus expresse uoce sonante probat.
Editis & signum motus in corde creati,
Qui decet in primis pectora celsa Ducum.
Si quod & officium dulcissima pignora præstant,
Cum deflent matris funera mœsta suæ.
Quis furor est animis sic extirpare dolorem,
Eruit ut uites Thrax inamænus agris?
Inuida matronam talem cum fata tulere
Quæ fuerat multis nobilitata bonis.
In quam contulerat Deus omnia munera, cuique
Defuit ad uitæ commoda uera nihil.
Scilicet, ô iuuenes præstantes, luctibus angi
Vos Deus, & mentis uis genuina sinit.
Sed tamen ingenuo non indulgere dolori
Vis genuina monet mentis, & ipse Deus.
Nec genitricis amor superet pietatis amorem,
Quam præstare decet corda nouata Deo.
Illius immotis mandatis cœpta probare
Vestra, scopum uitæ quis neget esse piæ?
Seu placidè uobis decurrunt mitia fata,
Seu uos asperius fata seuera premunt.

Ritè

Rite uoluntatem submittere discite uestram,
Qui regit imperio, fata ferenda Deo.
Hic hominum uitam condit, conseruat, & auget,
Hic hominum uitam destruit, atq; secat,
Hic animam matri uestrae motumq; ministrans
Corporeum uiuo numine fouit opus,
Hic eadem repetens uitalis lumina flammæ
Corporis è fracto carcere sumpta tulit.
Mancipiòq; datur quia nulli uita, sed usu
Omnibus, est bonitas concelebranda Dei,
Qui varijs curis mulierem duriter actam
Venturis uoluit non superesse malis.
Sed desyderium defunctę principis huius
Incluta si uirtus, stirps & honesta leuat:
Stemmata non equidem desunt laudata parentum,
Vestra quibus fulsit conspicienda parens,
Extant uirtutis quoq; non fallacia signa,
Qua uelut Hesperium luxit in orbe iubar.
Quæ duo cum iungit patrio pro munere numen,
Nobilis hæc dici mentis idęa potest.
Ergo quibus ducibus ducat genus orta Sibylla
Harmonica nobis uoce Thalęa refer.
Annuat ô cęptis saltem clementia uestra
Saxonice iuuenes spes animosa domus.
Imperij Henricus quartus cum scepra teneret,
Henrico Nigro qui patre natus erat.
Teutones ad Solymos freta per longinqua profecti
Aduersus Turcas arma tulere truces,
Conatiq; manu forti sunt urbe potiri,
Impia quam tenuit gens Saracena diu.
Cumq; rei tantę dux fortibus impiger armis
Rite gubernandę præficiendus erat.

Vellet onus quisnam belli tolerare gerendi
Cura fuit ducibus suscipienda grauis.
Protinus ergò fuit cunctis sententia uisa
(Numine sic mirè corda regente Ducum)
Arte togæ præstans Gotfridus, & acer in armis,
Atq; satus claris, eligeretur, auis.
(Patria præcipuè ueluti decus auget honorum)
Dux Bilionæa natus is arce fuit.
Ipsius & fuit imperio Lotharingia miti
Subdita, cuius erat duxq; patèrque bonus.
Vtq; Sicamborum uirtutis propter amorem
Multorum scriptis est celebrata domus.
Sic quoque Balduinus Gotfridi frater ab annis
Antiquis meruit laudis honore frui.
Nam postquam spolijs Asiam Gotfridus opimam,
Syriacamque bona parte teneret humum.
Virtus sæpe fuit Balduini cognita, fratrem
Est dum per longum concomitatus iter.
Tunc fuit ipsius quoq; castra secutus, ad urbem
Cum Solymam primus Martia signa tulit.
Iunxerat utq; Charis concordia pectora fratrum,
Esset ut ambobus sensus ubiq; pius,
Gloria Gotfridi sic calcar habebat, ut alter
Esset apud cunctos laude nec ipse minor.
Ac Bilionæus cum Princeps mente ualeret,
Ipsius & menti dextera iuncta foret.,
Dextera quam Christus uirtute armauerat, & quæ
Turcarum genti fulminis instar erat.
Promptus in Ebræos agros sua castra locauit,
Affereret forti iusq; piúmque manu.
Flos procerum, peperit quos Gallia, robore iuncto
Cum Duce suscepit fortiter istud opus.

Cum

Cum quibus ingentes alij duxere cohortes,
Quos tulit insignes Saxonis ora Duces.
Quando cateruatim cinxerunt moenia sacrae
Vrbis, & hanc ualida diripuere manu,
Sed cum non possent Solymorum tecta tueri,
Quos penes huius erat maxima cura rei.
Hoste triumphator princeps Gotfridus ab acri
Cum socijs palmae premia digna tulit.
Hic sed quid memorẽ? nouus est honor inde potenti
Victori facta deditioe datus.
Iplius ex auri contextam mole coronam
Imposuit capiti dedita sponte cohors.
Vepribus e rigidis sibi fecit at ille coronam,
Nec uoluit magni regis honore coli,
Subiecitq; Dei gnatum quoq; ferta tulisse
Spinea, qui Dominus totius orbis erat.
Hac egit uitam Gotfridus in urbe deinde,
Donec ad aethereas uenit & ipse domos.
Atq; redemptoris crucis hic ubi signa uidentur,
Illius cineres, ossaq; terra tegit.

Huc huc Heroes oculos conuertite, uestrae
Cura sit & stirpis uos didicisse decus.
Ille pius Princeps, natus Billionis in arce
Fortiter ad Solymos fortia signa tulit.
Barbaricas gentes patrijs ut pelleret oris,
Depopulabantur quas sine fine Scythae.
Non ut turbaret ciuilibus, ocia, bellis,
Pacis, & in ciues stringeret arma suos.
Sed uim Sythonij populi cohiberet, & urbes
Maiorum regeret cum pietate domi,

Iplius

Ipsius menti tantus fuit insitus ardor,
Hæcque sibi studuit laude parare decus.
Extitit ipsius sed quanta modestia? multa
Sæcula non talem progenuere ducem.
Huius & in laudes minor est facundia nostra,
Vix tua sufficeret uena diserte Maro.
Ista quid ad uobis sed commemoratio prodest?
Saxonix iuuenes lumina clara domus.
Scilicet ut claræ perspecto stemmate matris
Luctifonus madido cesset ab ore dolor.
Namque domus surgit, cui præbet Iulia nomen
A Billionæo Principe clara domus.
Hinc & prima suæ ducit primordia stirpis,
Stirpis honoratæ casta Sibylla decus.
Ergo quod haud genetrix uulgo fuit orta propago
Ad consolandum pondus habere reor.
Quid, quod & igniculos hausit uirtutis ab ortu,
Nec famæ tantum nomine clara fuit.
Ut Gotfridus enim fuit ambitione remotus,
Sic lætata pia simplicitate fuit.
Non tumuit fastu maiorum, scuta nec ipsi
Nec genus excellens suaue referre fuit.
Sed decus auxit amor pietatis, & ardor honesti,
Et natiua fides, cognitiocque Dei.
Numinis inque thronum celsum penetrantia uota,
Et timor æterni mixtus amore Dei.
His ornata bonis mox est coniuncta marito,
Saxonix miti qui patre natus erat.
In Delphinè sedens ad Pelea diua marina
Venit, Nereidum concomitante choro.
Reddita non consors sic est, sata stirpe Cleuensi
Fœmina, Saxonici, diua Sibylla, thori.

Ipsa

Ipsa sed æterno de numine dogmata nouit,
Ipsius & uerbo mens renouata fuit.
Et coniuncta comes probitas fuit, ista mariti
In blandum posuit munera grata sinum.
Fœdus coniugij sanctè coluitq; deinde,
Illustri Heroi cum sociata fuit.
Iura pudiciçiæ custodiuitq; sacrata,
Et fuit à flammis mens aliena uagis.
Tunc quoq; cum dominus peregrinis esset in oris,
Coniugis est castæ munere functa probè.
Non ut Penelope, quando fuit exul Vlysses,
Sed quæ coniugibus sciuit adesse Deum.
Tempore quo fudit pia uota, precèsq; maritum
Redderet ut patriæ pro bonitate Deus.
Dumq; moræ patiens lugubris tædia lustris
Vicit, & impositum spe releuauit onus:
Ipsius ornauit uerè caput illa corone
Spinea, Gotfridus qua prius ususerat.
Et quia magnanimo tulit hanc per tempoa longa
Pectore, de spinis suauior orta rosa est.
Consita uere uiret quoq; nunc cœlestibus hortis
Ante Deum fragrans tempus in omne rosa.
Hoc decus humanæ non enarrabile linguæ
Mitiget ærumnas, mœstitiámq; leuet.
Quin etiam moueant uos matris iussa uerenda,
Insignes clara nobilitate Duces.
Viuit in æternum sanctas Heroïdas inter
Vestra parens, gaudet colloquióq; Dei,
Præcipit & uobis, ut consociatio ciues
Concordes uestra sub ditione tegat.
Et sit præcipuè uobis Ecclesia cordi,
Quæ nutrice gemit iam uiduata sua.

B

Et sit

Et sit præterea uobis Respublica cordi,
Lumine præstanti quæ spoliata dolet.
Amplius haud uobis de matre sit anxia cura,
Nec dolor immodicus pectora mœsta premat.
Quòdque decet, numen precor imo pectore, uobis
Confirmans flamen mittat ab arce poli.
Hoc animis uestris uires adspiret, & intus
Læticia efficiat corda uigere noua.
Hoc iuuet, occumbat ne mens generosa dolore,
Sed uadat uictrix salua per omne malum.
Et uobis, iuuenes Illustres, nostra uoluntas
Grata sit ut, uoti est summa, caputque mei,
Qui patriam, patriosque Duces constanter amauit,
Hic quoque sincero dignus amore fuit.

Vestrae Cellitud.
addictiss.

Iohannes Hoffer
Coburgensis.



QX/c 1645

(x2206295)

ac




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



h. 1815
Bk. XVIII, 15.

I
V c
1645

AD

ILLVSTRISSIMOS PRIN-
CIPES DVCEs SAXONIAE IOHAN-
NEM FRIDERICVM SECVNDVM, ET IOHAN-
nem Vuilelmum, & Iohannem Fridericum tertium,
fratres scripta de Illustrissimæ Principis Sibyllæ
&c. matris pia migratione ex hac
mortali uita, con-
solatio,

AVTORE IOHANNE HOFFERO
Coburgensi,



VVITEMBERGAE

EX OFFICINA HÆRE-
DVM GEORGII
RHAVV.

M. D. LIIII.

